

PRO O E M I U M.

Comparationem singulorum symptomatum, quae in variis cordis inflammationibus occurunt, instituere, initio mihi proposueram, tali quidem modo, ut elucesceret, cui morbo, endocarditidi, carditidi, an pericarditidi, proprium sit quodvis symptoma et quaenam, quod ad diagnosin, dignitas.

Quum vero, operis magna parte jam confecta, animadvertissem, et cancellos dissertationi assignatos et vires meas tali labore, tot librorum lectione et comparatione, superari, destiti. Partem tantum operis coepti exaravi et invenies **L. B.** in sequentibus pagellis symptomatologiam pericarditidis comparativam, adnexis et causis et anatomia pathologica morbi, nec non casu pe-

ricarditidis et endocarditidis, quem ipse obser-
vavi. Forte alio eoque aptiore tempore simi-
lem edam disquisitionem de endocarditide et
carditide.

Jam ante annum majorem partem conscri-
pseram dissertationis, sed graviori morbo impe-
ditus, quominus eam conficerem, fortasse recen-
tioribus observationibus pericarditidis non eo,
quo debebam, usus sum studio; quare veniam
abs Te L. B. peto.

Notandum porro est, quoties in sequentibus
brevitatis causa dixero »pericarditis,« semper de
pericarditide acuta sermonem esse, nunquam de
pericarditide chronica.

Favente animo accipias, L. B., haec prima
studiorum meorum specimina, et, qualiacunque
sunt, memor esto, non virum eruditum, sed ti-
ronem haec Tibi offerre ac indulgentem Te im-
plorare judicem.

Vale faveque!